



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 109. An lex possit favere alicui non subdito, vel ei, qui eam non recepit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

excedant. 2. Ne excedant certam quantitatem reddituum. 3. Ne ingredientibus vel alii laici conferant plura bona mobilia religiosis, quàm ad constitutam taxam necessaria sunt: atque hæc omnia probat fusè, explicatis omnibus textibus Juris, qui dictis videntur esse contrarii. Vide *Delbene* de Imm. Eccl. toto c. 8. & *Arcdek.* p. 3 t. I. de opin. prob. q. 25. in fine. Item dicenda l. 4. à n. 1382. & 1389. Quid autem liceat Judicibus Sæcularibus contra Ecclesiasticos dicetur ibid. à n. 1381.

Q. 109. *An lex possit favere alicui non subdito, vel ei, qui eam non recepit, v. g. si lex civilis statuat, ut bonâ fide possidens aliquid per duos annos, præscribat titulum, an Ecclesiasticus non subjectus legi civili possit gaudere illo privilegio, & præscribere contra laicum: Similiter si Trident. alicubi non sit receptum, an nihilominus possint incolæ talis loci gaudere privilegiis seu favoribus Tridentini. R.* 680

§. I. Primum negat *Caram.*, quia legibus non debent judicari, qui non sunt eis subjecti: è contrà affirmat *Carden.* in 1. crisi d. 61. c. 14., nam v. g. Rex Hispaniæ potest condere legem, ut non liceat merces efferre, nisi in Galliam, hæc lex favet Gallis ipsi non subjectis, ergo. Itaque quamvis lex non possit favere non subdito, directè afferendo illi aliquam obligationem, vel etiam tollendo obligationem per aliquam dispensationem, eò quòd obligatio non possit imponi nisi subdito, & sublatio obligationis, quæ per dispensationem fit, non fiat nisi respectu subditi, potest tamen lex simpliciter favere etiam non subdito legi, sic enim potest ferri lex in Hispania, ut nemini præterquam Gallo liceat in regnum venire, quæ lex favebit solis Gallis, gravabit reliquos. Id maximè valet de Ecclesiasticis alicujus Communitatis legibus subjectæ, nam sunt pars istius

Com-

Communitatis, & tenentur saltem vi directivâ legum in ea vigentium, ergo similiter, & magis, gaudere debent favoribus.

681 §. II. Putat *Zipæus* Episcopos gaudere posse legibus favorabilibus *Tridentini* quoad absolutiones & dispensationes in casibus Papalibus, etiam in iis locis, in quibus *Tridentinum* non est receptum; idque *Duvallius* dicit praticari ab Episcopis alia: è contrâ *Sanch.* & *Barbosa* negant id posse fieri, citantes pro se Declarationem S. Congregationis, & *Ratio* potest esse, quia mens Ecclesiæ est, ut qui habet favores, portet æqualiter onera, cum favores sæpe indulgeantur, ut leviora sint onera.

An infideles teneantur legibus Ecclesiæ, dicitur l. 2. à n. 77. ; quam autem potestatem habeant Episcopi respectu Regularium exemptorum, videri potest apud *Delbene* de Imm. Eccles. c. 14.

682

DUBIUM II.

An Peregrini teneantur legibus sui domicilii, dum ab eo absunt.

“ Suppono I. Præceptum aliud esse Locale, quod scilicet certo tantum loco, urbe v. g. vel Parochiâ obligat: aliud Universale, seu juris communis; quod totam ferè Ecclesiam obligat.

“ Suppono II. Peregrinos propriè dici eos, qui aliquò veniunt, animo non manendi, sed tantum subsistendi ad aliquot dies, vel summum per minorem anni partem, ut mercatores, viatores: non autem studiosi, neque ancillæ, quæ veniunt ad serviendum.

“ R. Non obligari. Ita *Navar. Sanch. Less. lib. 4. cap. 3. d. 8.* Ratio, quia præcepta localia per se & directè respici-